

*Ac. 1627.*

**DE VITA AETII**  
DISSERTATIO.

---

**PARTICULA PRIOR,**

QUAM

VENIA ATQUE AUCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD GRADUM

**MAGISTRI PHILOSOPHIAE**

IN

**CAESAREA UNIVERSITATE DORPATENSI**

RITE IMPETRANDUM

CONSCRIPSIT ATQUE LOCO CONSUETO

PUBLICE DEFENDET

**DR. AUG. HANSEN.**

---

DORPATI LIVONORUM MDCCCXL.

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

IMPRIMATUR

ea conditione, ut numerus exemplorum lege praescriptus collegio libris inspiciendis tradatur.

Dorpati Livonorum die 27. Febr. 1840.

*Dr. L. Preller,*

Ord. Philosoph. p. t. decanus.

CXLI:1

Socero suo

**Ottoni Benjamine Rosenberger,**

a consiliis publicis, ordinum Stae. Annae III. cl., Sti. Wladimiri IV. cl. equiti, Gymnasii Dorpatensis atque scholarum inferiorum huius provinciae olim Directori; aetate ac doctrina septuagenario. animo, ingenio et studio iuveni.

d. d. d.

auctor.

Scite Francogallorum acutissimus scriptor tem-  
pestatibus seditionum id ait esse proprium, ut,  
qui ingenio prae luceant, sua sibi loca quaerant,  
neque ab aliis munera subire cogantur, quibus  
ferendis minus idonei sint. Quod, quamquam ille  
de civilibus motibus dixit, cadit etiam in exter-  
nos. Inest enim singularis quaedam gratia in iis  
temporibus, quibus antiqua et obsoleta corruunt  
ac nova conduntur. Me quidem, quamvis pacis  
amantissimus sim, successorum Alexandri res  
magis delectant, quam quae summus ille rex ipse  
gessit; lubentissime in illis fluctibus ac procellis  
versor, quibus tranquillitas parta est, qua sub  
Augusto perfruebantur Romani. Et, ut crucigerorum  
admirabilem fortitudinem, et ingentes illos motus  
omittam, qui patrum nostrorum memoria totum

fere orbem concusserunt, quis est, qui fecundissimam praestantissimis hominibus Romanorum rem publicam tum maxime fuisse neget, quum undique gentes barbarae ac feroces confluerent, primum ad fines, deinde in medium imperium Romanum delatae? Nati suis temporibus C. Marius, M. Aurelius; sed vix antiquitas tantos homines vidit, quantos ubique consurgere percipimus, quum universi imperii vix unum latus illaesum esse videretur. Priores taceo; sed post dedecora Bassianorum, quibus componamus Claudium Gothicum, Decium, Probum, orbis restitutorem Aurelianum, Carum ac Diocletianum, totamque illam et uberrimam nobilissimae novitatis, ut ita dicam, prolem, quae intra quinquaginta fere annos nata, tuta omnia praestitit ac secuta? Quis non iure miretur Valentiniani quamvis saevum ingenium? Quis Theodosios, magistrum equitum et imperatorem, despiciat? Sequitur Stilico, excipit Stiliconem Aetius, dignus profecto, qui grandiori, quam meo stylo scribatur. Nam per viginti amplius annos in eo loco collocatus fuit, in quo Romanorum orbem suis humeris videbatur sustinere; qui, quamvis dici possit ausus esse nonnunquam, quae nemo auderet bonus, tamen et perfecit, quae nemo nisi fortissimus perficere potuit, dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam Imperatoris sui suspicione. Iuvat etiam cum ipso gentes barbaras visere, quas pace, quas bello

edomuit, Attilam, quadam quasi familiaritate devinctum; iuvat nascentia ingenia conspicere, quae Aetio rectore adoleverunt, praesidia Romae futura post ipsum, et reliquias Theodosianae domus, haud multo post et in Oriente et in Occidente extinctae. De hoc igitur viro, cuius vitam enarrare constitui, ita iam agere mihi proposui, ut, omissis rebus ac quaestionibus omnibus, quae, quamvis propter tempus facillime in hunc locum trahi possent, ad Aetium ipsum minus pertinerent, ipsum ubique spectarem; quo factum est, ut, sive qua coniectura opus erat, sive diligentiori atque longiori disputatione, de iis in notis, quas dicunt, atque excursibus dissernerim; in quibus si quid verius clarissimorum virorum, veluti Niebuhrii, quem honoris causa nomino, opinionibus vidisse mihi videar, satisne verecunde prolata a me mea sint, aliis diiudicandum relinquo; id certe omnibus velim persuadeatur, adiecta talia a me esse, non ut arguerem, sed ne arguerer.

Antequam de re ipsa, quam enarrare constitui, dicam, exponam fontium meorum et auxiliorum ingenium. Sed id breviter. Nam quum ex libris, iam dudum typis expressis, quique in omnium manibus versantur, omnia fere hauserim, quis est, qui de Idatio, Prospero, Sidonio Apollinare, Gregorio Turonensi, Cassiodoro, Iornande et aliis Latinis, ac de Graecis, quos collectiones notis-

simae continent, disserentem audire me velit? Quod si cui non sufficiant, quae de inertī ac decrepita Latinae linguae senectute I. N. Funccius, quae de historicis et Latinis et Graecis Ger. Is. Vossius, de Byzantinis Hankius et qui in iis colligendis elaborarunt, docte apteque conscripserunt, adeat eos, qui nuperrime de his scriptoribus disseruerunt, I. I. Amperium et Papencordtium. Prioris librum<sup>1)</sup> ipse non vidi, alter de Vandalorum regno Africano ita scripsit, ut academiae Parisiensi praemio et corona dignus visus sit.\*)

Is libri sui plagulis 351—428 scriptores Graecos et Latinos, qui ad rem suam pertinerent, et recensuit, et summa diligentia, adhibitis libris manuscriptis, ita perscrutatus est, ut, unde quisque hauserit, exponeret, et multa nova inueniret. Loquitur autem primum de Idatio (p. 352—355), tum de Prospero Aquitani chronico integro, Augustano, Vaticano et Pithoeano (p. 355—358); de Comite Marcellino et Cassiodoro (p. 339); deinde Victoris Tununensis chronicon cum Prospero comparat (p. 359—365); tum ad Orosium transit, de Augustino memorat et Possidio (p. 365—366);

---

1) Cfr. Magazin für die Literatur des Auslandes. 1839. Nr. 116. 121.

\*) Geschichte der vandalischen Herrschaft in Afrika. Berlin 1837.

Victorem Vitensem (p. 366—374) perscrutatur; laudat vitam S. Fulgentii; Dracontium, Apollinarem Sidonium et Merobaudem poetas describit. Sed de Merobaude brevior est, quam debuit esse; quem, postquam Sidonii simillimum esse dixit, quod vix verum esse existimabit, qui utriusque ingenium penitus noverit, ad alios digreditur. In ipsa autem rerum Vandalarum narratione Merobaude nusquam usus est, quamquam non defuit locus. Mirum igitur non est, quod qui ante eum de Germanorum, Francogallorum, Hispanorum rebus scripserunt, poetae nostri ne nomen quidem audisse videantur. Itaque operae pretium esse duxi, ubicunque locus esset, in quo aut uterer Merobaude, aut ad explicandum aliquid conferre possem, non silentio praeterire. Omnis autem de Merobaude disputatio duobus locis continetur, altero Idatii, altero Sidonii, quorum ipsa verba iuvat transcribere. Sidonius Apollinaris<sup>2)</sup> quum dixisset, se non narraturum antiqua, cito omnium gentium temporumque rebus notissimis commemoratis haec habet:

274. Nec qui iam patribus fuere nostris

Primo tempore maxime sodales.

Quorum unus Bonifacium sequutus etc.

---

2) Carm. IX ed. Sirmond. (opp. t. I) p. 742. sq.

286. Non tu hic nunc legeris tuumque fulmen,  
O dignissime *Quintianus alter*,  
Spernens qui Ligurum solum et penates,  
Mutato lare Gallias amasti ,

290. Inter classica signa, pila, turmas,  
*Laudans Aetium*, vacansque libro,  
*In castris hedera ter aureatus*.  
Sed nec *tertius* ille nunc legetur,  
Baetin qui patrium semel relinqueus ,

295. Undosae petiit sitim Ravennae;  
Plosores cui fulgidam Quirites  
Et carus popularitate princeps  
*Traiano statuum foro locarunt*.

Audiamus etiam Idatium. <sup>3)</sup> Ad annum Valentiniani XVII. adscripta haec sunt: Asturius, Dux utriusque militiae, ad Hispanias missus Tarracensium caedit multitudinem Bacaudarum. Ad ann. XIX. Asturio, M. U. M., gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudis, natu nobilis, et eloquentiae studio, vel maxime in poematis studio veteribus comparandus, testimonio etiam provehitur statuarum. Brevi tempore potestatis suae Aracellitanorum frangit insolentiam Bacaudarum. Mox nonnullorum invidia perurgente, ad urbem Romam sacram (al. melius *sacra* <sup>4)</sup>) praeceptione revocatur.

3) Chron. (Sirmondi opp. tom. II.) p. 236. inf.

4) Nam quis nescit, sacram praeceptionem pro Impera-

His inter se comparatis Sirmondus ad Sidonii l. c. vers. 293 adscripsit: „Vide an sit Merobaudes“. Movit eum, ut videtur, quo minus Quintianum diceret, mentio statuae. Nam de primo poeta propter amicitiam Bonifacii cogitare non licebat. Inde Niebuhrius carminum fragmentis, quae Sangalli detecta, primum anno 1823 publici iuris fecit; tum (a. 1824) iterum edidit; postremum etiam novae editioni scriptorum Byzantinorum Bonnensi, cuius curam gerebat, inseruit;\*) his igitur fragmentis non dubitavit Merobaudis nomen adscribere, nisus novo eoque gravi documento, statua in foro Traiani ex ruderibus egesta, quae „Flavio Merobaudi, militia et carminibus claro“ dedicata est IV. Kal. Aug. Cons. Theodosio XV. et Valentiniano IV. li anno 435 Consules fuerunt. Atqui in ipsis illis fragmentis, quae Niebuhrius reperit (p. 9. ed. Scriptorr. Byz. Bonnens.) haec leguntur: „pro his me laudibus tuis Roma cum Principe victuro aere formavit“. Accedit, quod

---

toris praeceptione dici, quum vel stabula sacra appellentur?

\*) Recepta etiam sunt a Webero in Corp. Poett. Latinor. p. 1367—1370. Quaeras, cur Sidonium omiserit. Reliquos nominat, sed Sidonii ne mentionem quidem facit praef. p. XII. inf.

in titulo, quem supra memoravimus, et in Panegyrici praefatione, ex qua modo pauca decerpsi, quae leguntur plurima adeo similia sunt, „ut orator ex inscriptione, publico honoris monumento, laudes suas transtulisse videatur“. Quum autem Quintianum Aetii quidem gloriae praeconem fuisse, sed hedera ter coronatum referat Sidonius, satis aperte declarat, summum illum statuae honorem alteri soli tributum esse, quem Merobaudem fuisse ex Idatio colligimus.

His ita digestis ad recensionem fontium, quam Papencordtius dedit, redeo. Aequalium quidem unus tantum post superiores memorandus est Salvianus (p. 381 — 385); sed etiam qui proximi sequuntur Iornandes, Gregorius Turonensis, Isidorus Hispalensis, qua digni sunt diligentia tractantur (p. 385 — 394). De Paulo Diacono autem et de Historia miscella, quam dicunt, novam prorsus disquisitionem instituit, codicibus mss. nisus, quos in Vaticano ipse inspexit (p. 394 — 415); quod ad scriptores Byzantios attinet, ipse nos ad notissimas editiones relegat, de Procopio solo paulo longior.

Iam de scriptoribus recentioribus dicendum est. Nam quum tantae fuerit auctoritatis Aetius, quantum supra diximus, quicumque temporum illorum sive universam historiam scripserunt, sive de singulis egerunt partibus, Aetii mentionem non po-

tuerunt, quin iniicerent. Ex his utilissimus mihi fuit Tillemontii liber, qui sex voluminibus Imperatorum Romanorum usque ad Anastasium res comprehendit,\*) ita ut scriptorum antiquorum verba, in Francogallicum sermonem translata atque inter se iuncta reddiderit. Ita fit, ut molestus saepe sit lectori atque insuavis, studioso uberrimam copiam suppeditet. Addidit etiam notas, quae maximam partem de magistratibus agentes, permultum faciunt ad Gothofredum corrigendum. Codicem autem Theodosianum supra non memoravi, propterea quod minus Codice quam Gothofredi notis amplissima doctrinae copia refertis, usus sum. Quamquam enim Codex ipse haud raro res mihi exhibuit gratissimas, quis tamen est, qui sine illo duce uti eo possit, quin in difficultates incidat, ex quibus nemo nisi qui et universum codicem et historiam omnium fere hominum aevo Theodosiano muneribus functorum memoriter complectitur, se expediet. Tertia his adnumeranda est Collectio Bouquetii,\*\*) quam si prius nossem penitus, maiore laboris parte supersedere poteram. Reliquos hic taceo; nam quis Gibbonem ignorat,

---

\*) Histoire des emperurs, — qui ont regné durant les 6 premiers siècles de l'Église. Venise. 1739. 6 Voll. 4to.

\*\*\*) Rerum Gallicarum et Francicarum scriptores. Paris. inde ab a. 1738. fol.

Mascovium, et Schlosserum, quisve ad hoc opusculum accessisse me putabit, tantorum virorum libris neglectis? De Aetio autem qui seorsum scripserit, neminem inveni, nisi forte in hunc numerum referendi sint, qui Lexica, quae dicuntur historica et similia conscripserunt. Optima ex his mihi visa sunt, quae in nova Encyclopaedia antiquitatis classicae \*) de Aetio ex fontibus collecta ac scite digesta leguntur. E Ruhnkenii dissertationibus de Galla Placidia duabus \*\*) minus, quam sperabam, haurire potui; Aetium enim raro memorat. Dissertatio autem Kosegartenii de Campis Catalaunicis oculos fugit, non animum. 5)

**I. Aetii parentes.**

**Aetius natus est Dorostyli, 6) oppido nobili**

\*) Real-Encyclopaedie der klassischen Alterthumswissenschaft. ed. Pauly. Liber nondum finitus est: ultima plagula de appellatione agitur.

\*\*) Anno 1743 propositae sunt ad publicam disceptationem.

5) Cfr. Fiedler. Röm. Gesch. ed. III. not. ad pugnam Catalaunicam.

6) Oppidi nomen diversissime scribitur: Dorostena. Iornand. r. G. XXXIV. in. — Δορόστορον. Ptol. III. 10. Durostorum. Notit. dign. imp. orient. ed. Boecking. p. 102. Δορόστολον. Leo Diac. ed. Hase. p. 85. C.

Moesiae secundae, 7) sub finem imperatoris Theodosii Magni. Mater Itala fuit, nobilis et locuples femina. 8) Pater Gaudentius, a domestica militia exorsus, sub vitae finem equitum magisterio in Gallia functus est. 9) Is primum sub aspero horridoque patriae coelo filium labori videtur duravisse; 10) deinde, Honorio imperante, natali pro-

---

Nieb. p. 138. inf. Δορόστυλον, Δορίστρα, Δορήστρα, Δορίστρα ap. eund., quem de urbis initiis adeas L. VIII. 9; de situ haec habet IX. 2. παραρθέτων ὁ Ἴστρος τὸ θάτερον περικλύζει πλευρόν. — De reliquis cfr. Schloezer. Russ. Ann. V. 131. C.

7) Iorn. l. l. — Greg. Tur. (Renat. Friger.) II. 8. Scythiae provinciae primoris loci.

8) Ren. Frig. l. l. —

9) Chron. Prosp. Pith. Comitem fuisse dicit, quae una militibus in Gallia occideretur (ad ann. 425); Renat. Frig. l. l. evectum usque ad magisterii equitum culmen. Qui ne adversis frontibus pugnare videantur, cfr. praeter Cod. Theod. T. V. p. 103. (Gothofr.) Noris. Cenot. Pisan. fol. 441. Prosp. Chron. ad a. 423 sq. quem locum posthac (n. 48.) integrum exscriptum leges. De re ipsa v. not. 37.

10) Merob. Paneg. V. 121. Nieb.:

Ut vix prona novis erexit gressibus ora,  
Primaque reptatis nivibus vestigia fixit,  
Mox iaculum petiere manus, lusitque gelatis  
Imbribus et siccis imitatus missile lymfis etc.

vincia, quae Orientis erat, relicta, in Occidente militans invenitur, quo cum Theodosio emigravit,<sup>11)</sup> quum is, Eugenio victo et Arbogaste, totum orbem sub suam potestatem redigeret. Nam post Theo-

11) Iam enim a. 398 Africae praefuit comes. Unde apparet, eum certe haud multo post initium Honorii in occidente muneribus esse functum. Quo, ne multo ante transiisse putetur, impedimento est, quod filium in patria educasse videtur, quem sub initium Honorii imperantis puerulum admodum fuisse probabimus. Diviso autem per Theodosium orbe tanta inter utramque partem aemulatio exarsit, ut probabile non sit, quemquam ex Oriente in Occidentem transiisse militatum. Quod secus haud multo ante fuisse, haud difficile est, ante divisum orbem exempla reperire. Sufficiat unum. Paulini, celeberrimi apud historiae ecclesiasticae peritos poenitentiarum, pater Hesperius, quum filius nasceretur, Macedoniam rexit Vicarius anno 376; Africae Proconsulem eundem invenimus anno 377. Cod. Theod. T. VIII. p. 543 sq. (Gothofr.). — Deinde, interfecto Valente, Gratianus in Orientem, post Gratianum occisum Theodosius in Occidentem et copias misit Valentiniano minori et duces, quibus tanquam rectoribus et magistris uteretur. (cfr. Prosp. Chron. et Zos. IV. p. 757 b. 774 e.) Theodosius bis fuit universi imperii arbiter, primum interfecto ad Aquileiam Maximo, (a. 383) dein victis Eugenio et Arbogaste (a. 394). Nec dubium est, quin, ut Valentiniano; ita Honorio etiam ex orientis partibus spec-

dosii obitum anno quarto<sup>12)</sup> gentilium templa Carthagini, iubente Honorio, expilavit,<sup>13)</sup> Africae provinciae Comes.<sup>14)</sup> Ex quo Christianum fuisse apparet. Eidem provinciae anno 409 praefuit tau-

tatae fidei homines addiderit, quum evidentissimum sit, eum nihil aliud cogitasse, filiis orbem distribuendo, quam quod Diocletianus et cogitavit et, quoad imperavit, effecit, ut unum imperium esset sub duobus Augustis; quod haud inepte aquilae imagine exprimitur duobus capitibus praeditae. Quodsi tempus accuratius definiam oportet, quo in Occidentem transiisse Gaudentium putem, Italia illa uxore fortasse in priori expeditione ducta, penates anno 394 reliquit. Ita apte omnia congruunt: Uxorem duxit anno 388; natum haud multo post puerum redux in patriam suscepit; inde in altera Theodosii expeditione in Occidentem transmigravit a. 394. —

12) Cod. Theod. Tom. II. p. 395. Tom. IV. p. 137. (Gothofr.) Tillem. V. p. 801. a. not. XII. Quand Gaudence a été comte d'Afrique. — August. de civit. Dei XVIII. 54. Sed Idat. fasti cons. annum habent 399. Manilio et Theodoro coss. (Vitium est; sicut Romae dicebant Iulio et Caesare cons. per iocum; h. l. scribendum fuit Manlio Theodoro et Eutropio coss. —)

13) Augustinus l. l. vel diem habet XIV. Kal. Apr.

14) Erat igitur inter Comites rei militaris inter provincias transmarinas; qui honore ceteros anteibant. Cfr. Gothofr. ad Cod. Theod. Tom. V. p. 101. A. et lex p. 101.

quam Vicarius.<sup>15)</sup> Unde eo ipso anno evocatus<sup>16)</sup> in Galliamque missus haud multo post quam Magister Militum creatus est, periit.<sup>17)</sup> Superiori anno interfectus erat Augusto mense Stilico, insequuta est clades affinium.<sup>18)</sup> Successit in Stiliconis locum Olympius insidiator, mox Iovius;<sup>19)</sup> Gallias et Hispaniam occupant Constantinus, Constantius et Gerontius; militum manibus Ravennae trucidantur Turpilio et Vigilantius, in Gallia iugulantur Limenius Praef. Praet., et Chariobaudes Mag. mil.<sup>20)</sup> Quid si in Chariobaudis locum Magistrum Mil. creatum atque ad sedandam seditionem in Galliam missum putemus Gaudentium? Id certum est, mentionem eius posthac nusquam esse factam ut vivi.

## II. Aetius obses apud Gothos et Hunnos.

Referunt scriptores, Aetium puerum inter praetorianos adscriptum, tribus annis Alarici fuisse

15) Cfr. quos not. 12 exhibet locos.

16) Data enim ad Gaudentium Africae Vicarium lex est III. Kal. Mai; aliam VIII Id. Aug. eod. a. ad Sapidianum Vicar. Afr. legas in Cod. Tom. II. p. 352.

17) Vid. not. 9.

18) Collecta omnia invenies apud Tillem. V. p. 562. 569.

19) Ibid. p. 564. 573.

20) Zosim. V. 32.

obsidem. Cui quo anno traditus sit, quum a scriptoribus non dicatur, coniectura studeamus assequi. Brevissime haec, ut reliqua, quae ad Aetium pertinent, apud Renatum Frigeridum,<sup>21)</sup> amplius ac verborum decore ornata apud Merobaudem,<sup>22)</sup> qui Aetium dicit vix puberem obiectum esse Getarum

21) Greg. Tur. II. 8. Aetius filius, a puero praetorianus, tribus annis Alarici obses, dehinc Chunorum; posthac Carpilionis gener, ex comite domesticorum, et Ioannis curam palatii gerere coepit. (Paululum mutavi interpunctionem, quam dicunt. Saepe in eiusmodi vitia in Biblioth. max. patrum offendas; e. g. f. 317. H.: „In Galliis autem Egidius a Romanis magister militum datus est Childericus. Vero quum esset nimia in luxuria dissolutus“ etc. — Haud multo post pro: „bonis“ scriptum est „bonus“; tum „quantae potentiae satis destinaretur“ pro fatis; et „Valis utrisque exstitit finis“ pro „Talis utrique (?)“ etc.

22) Merob. Carm. IV. Natalis filii Aetii Patricii. v. 42.: vix puberibus pater sub annis, obiectus Geticis puer catervis, bellorum mora, foederis sequester, intentas Latio faces removit, ac mundi pretium fuit paventis.

Paneg. Aet. v. 127:

Cum Scythicis occumberet ensibus orbis  
Telaque Tarpeias premerent Arctoa secures,  
Hostilem fregit rabiem, pignusque superbi  
Foederis, et mundi pretium fuit.

furori, quid bella forent ignarum, foederis sequentem. Primum igitur foedus, quod et quo tempore initum sit, videamus. Alarici primum mentionem faciunt sub Theodosio M., cui, Gothi post Valentis cladem pacatis, auxilium contra Arbogastem et Eugenium tulit; <sup>23)</sup> sed praemiorum spe destitutus <sup>24)</sup> gentem suam sollicitat, rex creatur, invadit Peloponnesum. Eo bello liberatus est Oriens a Stilicone; qui sponte contra Alaricum arma movebat, sed inclusum intra Arcadiae fauces, ad ultimaque necessitatis redactum, dimisit incolumem. <sup>25)</sup> Esto foedus inter Alaricum et Stiliconem initum, quod nonnulli dubitant; <sup>26)</sup> attamen non id est, quo obses factus Aetius. Nam quod legimus: „intentas Latio faces removit“ id certe in hunc locum non cadit: neque enim Latio tum imminabat Alaricus et victum Stilico dimisit. Neque vero multo

23) Socr. VII. 10. Iorn. r. G. XXIX.

24) Zos. V. 5. Iorn. I. I.

25) Claud. de laud. Stil. I. 172 sqq. VI. Cons. Hon. v. 459 sqq.

26) Nam Zos. V. I. Romanorum incuria, libidinibus ditorum, evasisse eum refert; si Claudianum audias (bell. Get. v. 517 sqq.), Eutropius Stiliconem exire Orientis finibus iussit, nec multo post ipse foedus cum Alarico iniit, ea conditione, ut Illyrico Orientali praeficeretur. Claud. I. I. v. 535 sqq. id. Eutrop. II. 214 sqq.

post ex Illyrico in Italiam descendit; proelium commisit cum Stilicone ad Pollentiam, ex quo, si non victor, evasit certe invictus. <sup>27)</sup> Pugnam Veronensem mitto, cuius Claudianus solus iniecit mentionem; <sup>28)</sup> sed reliquit Alaricus Italiam invitus anno 403, quum eius liberos Romani tenerent in pugna Pollentiana captos. <sup>29)</sup> Quam obscura haec omnia sint, quis nescit? quum neque historicis neque poetis Romanis accurate ea enarrare placuerit; <sup>30)</sup> mirum igitur non est, quod obsides Alarico a Romanis datos esse non legimus. Quamquam foedus factum plerique referunt. Hoc est, quo Aetium Alarico

---

27) Prosp. Chron. — Iorn. XXIX. Cassiod. Chron. — Claud. bell. Get. v. 579 sqq. Prudent. in Symmach. II. 695 sqq. Addit Orosius, pugnam commissam esse a Saulo, ipso festo Paschali, invitis Gothi propter diei religionem. Reliqui Stiliconem ducem habent. Opinabar, Stiliconem ipsum ab Orosio dictum esse Saulum propter I. Sam. cap. 15; sed vetuit Zosimus IV. 57. Facillime autem difficultatem tollat, qui Saulum, sub Stilicone imperium gerentem, eo ipso die, quo pugnare nefas habebant Gothi, impetum fecisse dicat.

28) De VI. cons. Hon. v. 300 sqq.

29) Bell. Get. I. I.

30) Nam solus qui favere Alarico videtur Cassiodorus, victos quidem Romanos esse refert; sed quid insectum sit, quae est eius Chronici natura, omnino praeteriit silentio.

traditum esse existimo. Nam quod Zosimus dicit,<sup>31)</sup> Alaricum anno 408 ad pacem confirmandam haud magnam pecuniam et obsides Aetium, Gaudentii filium, et Iasonem, filium Iovii Patricii, impetrasse, nobiles ipsum obsides ultro pollicitum, id ad nostram quaestionem non pertinet, propterea quod idem brevi post omnia ab Honorio reiecta esse refert.<sup>32)</sup> His ita compositis, iam quod supra omisimus, quo anno natus sit Aetius, videamus. Idem, qui vix puberem obsidem factum esse tradidit, adeo placuisse barbaro puerum narrat forma iam tum ac viribus insignem, ut filius a rege appellaretur.<sup>33)</sup>

31) V. 36. Totum locum exscriptum leges not. 36.

32) Itaque vix recurrendum esse mihi videtur ad annorum computationem. Quamquam enim mortuus est Alaricus anno 410, ut qui minuta quaerat, non tribus annis eius obsidem esse potuisse existimet, si anno 408 traditus fuerit; nimis subtile videtur, ad amussim tres annos enumerare.

33) Merob. Paneg. v. 132 sqq. : — — — stupere feroces  
 In tenero iam membra Getae. Rex ipse verendum  
 Miratus pueri decus et prodentia fatum  
 Lumina, primaevae dederat gestare pharetras,  
 Laudabatque manus librantem et tela gerentem,  
 Oblitus quod noster erat. — — — v. 141. Sed  
 nomine natum  
 Nuncupat et mavult naturae dicere pignus, quam  
 pacis.

Unde apparet, Aetium infantem tum non fuisse. Ut igitur breviter disseram, quomodo totam hanc rem mihi disposuerim: natus est Aetius ex matre Itala, quam fortasse in priori Theodosii expeditione (a. 388) uxorem Gaudentius duxerat, ante secundam expeditionem (a. 394) qua sedem suam pater mutavit;<sup>34)</sup> nutritus initio in patria, deinde in Italiam translatus et Alarico obses factus, quum annum fere decimum quartum ageret (a. 403). Qui autem redditus sit, non accepimus. Fortasse pro regis liberis restitutus est patri (a. 406). Ad quem vix rediit, quum ad Hunnos obses missus est<sup>35)</sup>, qui a tergo Gothis Alarici tum incolebant. De quo obsidio nihil scriptores nobis tradiderunt. Sed

Haec quidem haud scio an non recte Niebuhrius media posuerit, post bella ab Aetio gesta, quum praesertim ob manuscripti foliorum seriem alium locum obtinuisse videantur.

34) cfr. not. 11. extr.

35) vid. locum Ren. Frig. not. 21. Fortasse hoc ipso anno 406. Nam Stilico, quum ad Faesulas Radagaisum superaret, Hunnis auxiliariis usus est. Oros. VII. 37. Chron. Marcell. (Contra quos Tillem. Prosperum sequutus est, anno 405 eam cladem adscribentem.) Accedunt leges duae Honorii a. 406 datae. Adde Zos. V. 26. ἀναλαβὼν ὁ Στελίχων — — — συμμαχικὸν ἐξ Ἀλαμανῶν καὶ Οὐννων. Vid. plura ap. Gothofr. ad Cod. Theod. Tom. II. p. 387 sq.

ob eam rationem gravioris momenti est, quod miram quandam quasi familiaritatem inter Aetium et eum, quem triginta fere annis post apud Hunnos regnantem videbimus Attilam, exortam esse hoc tempore credibile est. De qua re, quum plura posthac dicenda sint, suo loco reliqua seposui.

### III. Aetius Cpolitianus. Aetii uxor.

Aetium non ultra biennium apud Hunnos versatum fuisse, iam inde apparet, quod obses anno 408 ab Alaricho flagitatus est;<sup>36)</sup> quam conditionem, ut reliquas, reiectam ab Honorio esse iam supra legimus. Puerum autem, quem et domi et foris tanti fuisse modo vidimus, per insequentes annos usque

36) Zos. V. 36. Ἀλλάριχος δὲ, οὐδὲ παρὰ τούτων ἐρεθιζόμενος, ἤρεῖτο τὸν πόλεμον, ἀλλὰ ἔτι τὴν εἰρήνην ἐμπροσθεν ἐποιεῖτο, τῶν ἐπὶ Στελίχωνος σπονδῶν μεμνημένος· στείλας δὲ πρέσβεις ἐπὶ χρήμασιν οὐ πολλοῖς εἰρήνην ἤτει γενέσθαι, λαβεῖν τε ἡμέρους Ἀέτιον καὶ Ἰάσονα, τὸν μὲν Ἰοβίου γενόμενον υἱόν, τὸν δὲ Γαυδεντίου. δοῦναι δὲ καὶ αὐτὸς τῶν παρ' αὐτῶ τινὰς εὖ γεγονότας καὶ ἐπὶ τούτοις ἕγειν τὴν ἡσυχίαν, μεταστῆσαι τε εἰς Παιονίαν ἐκ τοῦ Νωρικῶ τὸ στράτευμα. Ἐπὶ τούτοις Ἀλλαρίχου τὴν εἰρήνην αἰτοῦντος, ὁ βασιλεὺς ἀπεσιεῖτο τὰ αἰτούμενα.

ad Honorii mortem prorsus sileri, ne quis miretur, lectores admoneo patris anno fere 409 mortui.<sup>37)</sup> Filius enim pretii tanti, quanti vidimus, propter patris dignitatem erat, quo interfecto puer, donec adolevisset, haud magni aestimabatur. Quamquam sunt, qui Aetium eum, qui in legibus annis 416 et 419 a Theodosio minore Constantinopoli datis memoratur, eundem et nostrum fuisse putaverint, pari nomine decepti. Inter quos etiam Gothofredum nomino.<sup>38)</sup> Id autem certum est, nostrum

37) Cfr. quae supra disputavimus pag. 13 sqq. Addendus ad Chron. Prosp. Pith. (ad. an. 425) (cfr. not. 9.) etiam locus Merob. Paneg. v. III. sqq.:

Nota viri (Aetii) virtus et magni gloria patris.

Nam claro genitore satus, sed forte parentem

Caedibus Arctois et iusta sorte potitum

Callidus et falsa tectus prece perculit ensis,

Mercatum vita leti decus.

Quae Niebuhrius nova esse dicit, versu paenultimo continentur; nam reliqua et scripta erant in Chron. Prosp. Pith. („Gaudentii, Comitis a militibus in Gallis occisi, filius“) et descripta a Tillemontio.

38) Chronol. Cod. Theod. p. 163. 165. Prosopogr. sub nomine. Sed iam correxit Ritterus. Mirum enim iam illud esset, quem modo impuberem hostium armis in Occidente tanquam pacis pignus obiectum legerimus, eum in Oriente repente ad summos honores adscendisse. Ex quibus Praefecturae Praetorii et Urbis sunt, quibus functum Aetium his annis

Aetium intra hos annos uxorem duxisse, et eam barbaram quidem, sed regiae stirpis,<sup>39)</sup> Carpilio-

Constantinopoli esse accepimus. Is autem, de quo nobis sermo est, patre natus, qui in Occidente stipendia meritis fuerat, hereditariam quasi Occidentalem militiam acceperat; neque quisquam antiquorum, qui de eo scripserunt, unquam eum in Oriente muneribus functum esse refert. Itaque necesse est, Aetiani nominis in plures dividantur honores. Oriundum ex Orientis partibus Aetium fuisse legimus; nil mirum, si etiam Orienti suum fuisse Aetium putemus. Haereticum illum Arianum quis ignorat? Legimus praeterea, Imperatorem Marcianum Synodum Chalcedonensem ingressum fuisse cum Aetio, domesticorum et sacrorum stabulorum Comite. cfr. Tillem. VI. p. 294 supr. ex Labbei concilior. postr. editione. Par. 1673. Tom. IV. p. 574. 575. Quae Synodus, quum a. 451 sit habita, quo Aetium, Gaudentii filium, in Gallia versatum esse apertum est, quid obstat, quin eum in Oriente versatum esse et munera subiisse maiora negemus iis, quibus posthac in Occidente ornatus est?

39) Ren. Frig. cap. XII. ap. Greg. Tur. hist. Franc. II. 8. (cfr. not. 21) dehinc Chunorum (obses); posthaec Carpilionis gener, ex Comite domesticorum, et Ioannis curam palatii gerere coepit. Sidon. Apoll. Paneg. Maioriani. v. 120 sqq. v. 204 sqq.:

Nato quae regna parabo?

Exclusa sceptris Geticis, respublica si me Praerit, et parvus super hoc Gaudentius huius Calcatur fatis.

nis, ex Comite domesticorum filiam.<sup>40)</sup> Christianae fidei addictam fuisse, vix dubium est, quae et

Ipsa hic loquitur Aetii uxor, Maioriani factorum apud coniugem invida vates. Parvus Gaudentius filius est Aetii, ab avo cognominatus: sicut ab uxoris patre, Carpilione, alterius filii nomen ductum. Sed quid sibi vult exclusa sceptris Geticis? Ad rempublicam, ut exclusa sit eadem ac liberata, nemo referet; restat igitur, ut cum superioribus iungamus: nato quae regna parabo? Fortasse magis etiam placeat, pro exclusa legere exclusam, quum praesertim, etiam ut scripta hic vox est, ultima syllaba positione sit producta. Sed quocumque modo iungis aut legis, id certe apparet, regiae stirpis apud Gothos Aetii uxorem fuisse. Accedit Merob. carm. IV. (cfr. not. 22) v. 16 sqq.:

Coniunx non levibus canenda Musis,  
Heroum suboles, propago regum,  
Cuius gloria feminam superstat.

40) Ad Merobaudis locum, quem modo legimus, haec adscripsit Niebuhrius: „Aetium Carpilionis generum fuisse Ren. Frig. tradit; qui Carpilio, quis tandem fuerit, equidem plane ignoro. Virum, qui inter barbaros educatus, maxima cum iis familiaritate usus est, *secundis nuptiis*, barbaram uxorem duxisse facile credi potest; ac de barbara origine intelligendum esse, quod eius uxor regum propago dicitur.“ Nam si ex Honorii familia fuisset, qui id silentio poterat transire panegyristes, ubi uxoris laudes canit? Accedit Sidon. Apoll., qui aperte Carpilionem Gothum fuisse scribit (supra not. 39. v. 204). Sed

filiolum sancto lavacro initiaverit<sup>41)</sup> et pro coniugis

cur secundas has nuptias dicat Nieb., non intelligo; his enim uxorem ductam esse ab Aetio, nusquam legimus. Fortassis etiam Carpilio minus ignotus est, quam videtur; Comitem domesticorum fuisse Ren Frig. refert; etenim verba haec: ex Comite domesticorum ad Carpilionem referenda esse, et grammatica docet, quoniam vocula „et“ sequitur, quam aut omissam omnino, aut praemissam velles, si ad Aetium referenda essent, ut esset tota sententia: „posthaec Carpilionis gener et ex comite domesticorum Ioannis curam palatii gerere coepit;“ et Sirmondus ad Carpilionem refert. (Sid. Ap. Carm. V. v. 205. not.). Quod si quis haec verba, ut scripta leguntur, de Aetio dicta probet posse intelligi, nil obiciam; testem enim, quo caremus, habebimus, Aetium iam ante mortem Honorii muneribus militaribus et iis maioribus esse functum. Sequamur interea eam, quam cum Sirmondo meam feci, explicationem, ac recordemur, quod Zosimus V. 46. refert, Turpilionem, quem modo Magistrum Equitum (V. 36) creaverat Honorius, a militibus interfectum; num nimis subtile esse videbitur, Turpilionem et Carpilionem eundem esse putare? Utrum autem nomen verius sit, dubitari vix potest, quum Turpilionis, ex antiqua historia notum, facile pro minus noto Carpilionis irrepisse videri possit; Carpilionis autem nomen etiam Graeci scriptores tuentur, qui Aetii filium Carpilionem ad Hunnos missum saepe memorant. (Prisc. ed. Bonn. p. 176. 185).

41) Merob. ubi supr. v. 19:

salute ad Christianorum altaria preces fudisse feratur.<sup>42)</sup> Regni filio comparandi cupidinis arguitur.<sup>43)</sup>

Otiosum his annis Aetium fuisse, quis existimet? Neque vero licet accuratius describere, quid egerit, quibusve muneribus sit functus.

**IV. Aetius ab Ioanne ad Hunnos missus.**

Honorius supremum diem obiit anno 423.<sup>44)</sup>

Quae non, ut Thetis, anxium pavorem,  
Secretis Stygos abluit sub undis. —  
Primaevos pueri recentis artus  
Plenis numine fontibus rigavit,  
Qua puri Deus arbiter lavacri  
Arcana laticum receptus unda,  
Pellit crimina etc.

42) Greg. Tur. (II. 5) An potius Renatum Frigeridum dixerim? Ille quidem auctorem non affert; sed et plura Renatum de Aetii rebus conscripsisse, et verosimile esse, Gregorium ex eodem, quem bis tantum laudat, hausisse, iam inde apparet, quod in iis, quae aperte Frigeridi sunt, haec leguntur: „Cui (Aetio) ab ineunte aetate praedictum liquet, quantae potentiae fati destinaretur, temporibus suis locisque commemorandus.“ Tum Gregorius, haec, inquit, supra dictus historiographus de Aetio narrat. — [Totum locum descriptum legas ap. Vossium de historicis latinis. Lugd. B. 1627. p. 643.]

43) Sidon. Apoll. paneg. Maior. v. 120 sqq.

44) Collegit omnia, quae ad tempus definiendum pertinent, Tillem. V. p. 654.

Qui quum orbus liberis esset ipse, tum Placidiam sororem, post Ataulfum Gothum et Constantium Augustum mortuos iterum viduam, Ravenna expulerat.<sup>45)</sup> Amor enim incestus, quo flagraverat erga sororem, verterat subito in odium. Placidia igitur, asseclis quum peregrinis, i. e. Gothis, qui ei studebant propter priorem maritum Ataulfum, tum aliis, quos, quum Constantio nupta esset, sibi conciliaverat, stipata, tantas Ravennae turbas moverat, ut vi oppido pelleretur. Plurimum apud eam tum gratia poterant mulierculae, Elpidia, qua nutrice usa erat, et Padusia,<sup>46)</sup> uxor Felicis, de

45) Olympiod. p. 466 ed. Bonn. Prosp. chron. (Errat chron. Pith., quod Romam exilio relegatam refert; nam Constantinopolim concessit. Nisi forte Romam (novam) pro Cpoli quis dictam esse velit, aut, quod magis fortasse placebit, relegatam quidem Romam, sed sponte Constantinopolim se contulisse). Cassiod. chr. — Ceterum non ad nostram quaestionem pertinere videtur, quae in vulgus nota sunt, enarrare; praesertim quum omnibus, quibus libri, quos diximus praesto non sunt, facilis sit aditu Ruhnkenius (de Galla Placidia dissertt. duae anno 1743, quas juvenis, annos natus viginti conscripsit. Lugd. Bat. 1807. p. 137 sqq. Opusculorum.) aut Schlosserus (III. 3. p. 203. 207), aut Gibbonus. (ed. Basil. t. VI. init.).

46) Mutavi nomen, quod apud Olympiodorum l. l. legitur: *Σπάδουσα*. Causa mihi haec fuit. In-

quo mox plura dicenda erunt. Pulsa igitur Ravenna Placidia cum Valentiniano et Honoria, quos Constantio pepererat, Constantinopolim se contulit ad Theodosium, fratris alterius Arcadii filium.

venio in Chron. Prosp. Theod. XIII. Valentiniano III. coss., Felicem cum uxore Padusia ab Aetio interfectum. Quid causae poterat esse Aetio mulierem interficiendi, aut scriptori tam brevi, eam nominandi, nisi singulare aliquid subesset? Quae tum erat aulae Ravennatis conditio, mulierum apud mulierem, quae summae rerum praeerat, summam vim fuisse constat. Itaque opinor, illam ipsam, quam Spadusam Olympiodorus (p. 467 ed. Bonn. *σπᾶδῆ Σπαδύσης*. cfr. p. 577 notam Labbei: Elpidiam nutricem Placidiae omnes agnoscunt: de Spadusa, fuerit nec ne, ambigi potest. Hanc si expurgas, aliam in eius locum substitui postulat orationis ipsius contextus.), Padusiam Prosper appellat, a Felice in matrimonium esse ductam, qua cresceret ipse atque honoribus augetur; nomen igitur apud alterum scriptorem esse mutandum. Utrum autem verius sit, ex titulo colligitur, quem in aede S. Ioannis Lateranensis inscriptum apud Gruterum legimus his verbis (p. 1155. n. 5):

FL. FELIX. V. C. MAGISTER  
VTRIVSQVE MILITIAE  
PATRICIVS ET CONS. ORD. ET  
PADVSIA EIVS INL. FEMINA  
VOTI COMPOTES DE PROPRIO  
FECERVNT.

Ita fiebat, ut, dum solus ex imperatoria Theodosii stirpe<sup>47)</sup> Honorius Ravennae moritur, Ioannes, primicerius notariorum, imperium sibi arrogaret. Quod adeo

---

Felix Occidentalis consul fuit a. 428, igitur eo anno hic titulus scriptus est. Ceterum iam Tillem. VI. p. 202. n. notat, a Norisio (Cenotaph. Pisan. Venet. 1681) eundem titulum describente, uxoris nomen falso redditum esse Pendusa; (errat Tillem., nam Pandus aap. Noris. fol. 441 dicta est); verum quum e. Gruteri collectione descripsisse se fateatur Noris., calami error est. Sed, quod fugit Tillemontium, legit Noris.: EXCONS. —

47) Invenio quidem apud Sozom. IX. II. *Αἰθῆρος καὶ Βεργιναῶς, οἱ Ὀνωρίου συγγενεῖς.* cfr. Oros. VII. 40. His Tillemontius V. p. 455, addidit fratres Theodosium (s. Theodosiolum) et Lagodem. Quorum studio Hispania ab incursione barbarorum defensa est; duobus autem superioribus interentis Theodosius in Italiam ad Honorium, Lagodes ad Theodosium, Orientis Imperatorem, confugit. Quorum qualis propinquitas fuerit, accuratius dictum non est, et Schlosserus, qui eorum mentionem iniecit (Universal-histor. Uebers. III. 3. p. 182) Honorii affines fuisse non refert. Frustra etiam Ducangii familias Byzantinas inspexi. Anno 426 Theodosius, primicerius notariorum, in Senatu Imperatoris nomine orationem recitavit, qua nihil praeclarius toto Cod. Theod. extare dicit Gothofredus (cfr. tom. II. p. 4. et tom. III. p. 538), Eundem Theodosium iustis laudibus et

improvisum accidit, ut copiae, quas futurorum providus in Dalmatiam Theodosius II. miserat, nihil agerent, quum universus fere Occidens Ioannem Imperatorem agnosceret. Id inprimis effectum est per Castinum, qui per Gallias atque Hispaniam Magister Militum et Comes, copias suas Ioannis consiliis non opponebat,<sup>48)</sup> offensus, ut videtur, quod Bonifacius Africam nactus erat provinciam, quem secum in Hispania militantem adeo a se averterat superbia, ut Romam profugus, ne graviora pateretur, in Africam superiori anno transiret.<sup>49)</sup> Bonifacius igitur, cui virtutem eximiam

---

orationem (seu legem dicere malis) effert Schlosserus l. I. p. 388 sq. Vide num idem sit, et is, quem inter Honorii propinquos modo memoravimus.

48) Prosp. Chron. Regnum eius Ioannes occupat, connivente, ut putatur, Castino, qui exercitui Mag. Mil. praefuit. — Castinus autem in exilium actus est, quia videbatur, Ioannem sine Comitiva regnum non potuisse assumere. — De Comitiva vid. Gothofr. ad. Cod. Theod. T. II. p. 99. — De Comite eodemque M. M. Orellii inscr. Num. 1143.

49) Prosp. Chron. „Bonifacium ab expeditionis suae (contra Vandalos institutae) societate avertit. Nam ille, periculosum sibi atque indignum ratus, sequi, quem discordem superbientemque expertus erat, celeriter se ad portum Urbis, atque inde ad Africam proripuit.“ Similia reliqui; Idat. Chron.: Bonifacius, Palatium deserens, Africam invadit. — Unice mihi

fidemque incorruptam scriptores ad unum omnes tribuunt, Africae Comes, et provinciae natura validus ac tutus, et quod Castinus Ioannis partes sequebatur, strenue cum Placidia stetit, quam exercitu stipatam cum Valentiniano in Italiam mittebat Theodosius.<sup>50)</sup> Eae copiae, Ardaburio filioque Aspare, et Candidiano, antiquo Placidiae amico,<sup>51)</sup> ducibus, in Dalmatia expeditionem para-

---

placet Ruhnkenii coniectura (p. 196. not. d.) „Imo Bonifacius a. C. 422 in Placidiae gratiam Africam videtur occupasse. Idatius enim in Chron. etc. Placidia enim sperabat, fore, ut Africa a se occupata, frater in gratiam rediret.“

50) Olympiod. extr. — Ruhnkenius nota g. (p. 197), qua Placidiam iam a. 421 Augustae, Valentinianum Nobilissimi titulo insignitum fuisse refert; „at id, inquit, sive insciente Theodosio, sive invito, factum dixerim.“ Invito, non inscio, Theodosio factum esse, testis est idem ille Olymp. p. 464: *Ὁθαλεντινιανός, ὃς ζῶντος μὲν Ὀνωρίς ναβελισσμος γίνεται — χειροτονεῖται δὲ ἡ Πλακιδία Ἀγγέστα — εἶτα πέμπεται πρὸς Θεοδοσίον ἢ ἀνάρῳσις μνηνομένη τῆς Κωνσταντίου βασιλείας καὶ μένει ἀπαράδεκτος.* Ex quo etiam reliqua reiecta esse colligere licet.

51) id. p. 457. Nuptiarum inter Placidiam et Ataulfum apud Honorium conciliator fuerat. Nimis despicitur a Schloszero III. 3. p. 208.

bant. Haec dum aguntur, Ioannes adversus Bonifacium proficiscitur, data Palatii cura<sup>52)</sup> Aetio; quem, suis copiis parum fisus, ad Hunnos pergere iubet, auxilia arcessitum. Nam quum ipsi Africam versus bellum gerendum esset contra Bonifacium, nec superioris Italiae fines a copiis Orientis satis defendi posse intelligeret, consilio mutato, debilitatus etiam irrita in Bonifacium expeditione,<sup>53)</sup> Ravennam revertitur, quam dum defendit, Aetium iussit a tergo hostes cum Hunnis adoriri.<sup>54)</sup> Et prospero sane initio usus est. Ardaburius enim, nimio impetu ventorum cum duobus navigiis in

---

52) Ren. Frig. l. l. De eo munere egregius locus est Gothofredi Cod. Theod. T. II. p. 96 sq. ex quo pauca describo: Is omnium Principis fabricarum curam gerebat. Inde Curopalatae vox imperio Graeco: quae quidem dignitas in tantum augeri meruit, ut Imperatoriae proxima esset, eaque Imperatoris frater fungeretur.

53) Ioannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est. Prosp.

54) Ren. Frig. l. l. aperte id consilium fuisse narrat: Ioannes Aetium id temporis curam Palatii gerentem, cum ingenti auri pondere ad Chunos transmittit, cum mandatis huiusmodi: cum primum partes adversae Italiam ingressae forent, ipse a tergo adoriretur, se a fronte venturum.

hostium manus delapsus capitur.<sup>55)</sup> Quem ita liberaliter Ravennae Ioannes habebat, ut familiaris magis quam captivus esse videretur. Nam sperabat, fore, ut per hunc celeberrimum ducem, eundemque gravissimi ducis patrem, Theodosii gratiam iniret; itaque nihil gravius in eum consuluit. Qua libertate in Ioannis perniciem Ardaburius usus est, ut dolo potius quam virtute occideretur.<sup>56)</sup> Namque desperante Aspare Candidianus quidem oppida quaedam atque castella cepit, at Ioannis satellitum libera consuetudine usus Ardaburius principes corrupit, ut Aspari Ravennam traderent. His igitur comparatis nunciat filio, accederet, urbem paratam esse deditiōni. Ita Ravenna, urbs munitissima<sup>57)</sup>, sine ullo certamine capta est cum Ioanne. Interea Aetius Hunnos sollicitaverat; cum exercitu sexaginta millium hominum ad Ravennam aggreditur post tertium diem, quam ab hostibus obsessa erat.<sup>58a)</sup> Quum igitur finita iam omnia, capto atque inter-

55) Olymp. frgm. extr.

56) Marcell. Comit. Chron. Theodosio XI. Valentiniano Caes. coss. — Raram sane felicitatem Prosp. dicit.

57) Describit eam Iornandes, Ravennae Episcopus ipse, de reb. Get. c. XXIX. fol. 1062. C. Adde Sidon. Apoll. Ep. I. 5 et 8. At quamvis aqua abundarent, tamen in mediis undis sitiēbant incolae. cfr. Carm. IX. v. 295. Undosae petiit sitim Ravennae.

58a) Philostorg. (ed. Cantabrigens.) XII. 14.

fecto Ioanne,<sup>58b)</sup> dedita Ravenna videret, et frustra se cum barbaris tantae molis urbem eamque Orientis copiis defensam oppugnaturum intelligeret, pacem inire studuit. Quam aequis conditionibus lubenter Placidia concessit. Etiam si enim Ravenna facile defenderetur, timendum tamen hostem, cui tot barbari parerent, et ob eam ipsam causam, quum per barbaros omnia gererentur, optandum amicum iudicavit Augusta. Rediit igitur in gratiam Aetius, Hunnos, obsidibus mutuo datis et acceptis, pecunia onustos, domum dimittit.<sup>59)</sup> Inde Comes creatur. Castinus autem, Mag. Mil., quamvis arma non movisset contra Placidiam, sed quia studere visus erat Ioanni, infestus idem Placidiae fidelissimo ministro Bonifacio, in exilium missus est.<sup>60)</sup> In eius locum suffectus est Flavius Felix atque in Galliam missus<sup>61)</sup> cum Comite Aetio.

58b) Secundum Philostorg. XII. 11. Aquileiae, manu dextra amputata; Idatius Ravennae supplicio affectum refert.

59) Philostorg. l. l. — Prosp. Chron. Data venia Aetio, quod Hunni — — eiusdem studio ad propria reversi sunt.

60) Cfr. not. 48. Mox videbimus, clade eum brevi ante gravissima a Vandalis affectum esse. Ideo minus erat timendus; et quaerendus erat locus satis dignus Felice, cuius per uxorem Padusiam summa erat auctoritas.

61) Ex Prosp. colligitur, qui, quamquam non diserte

**V. Quae fuerit Galliarum conditio sub Aetii ingressum.**

Sequuta iam hinc Aetii milita, gloriae an laboris maioris, incertum est. Non antiquorum instar ducum Orientem atque Occidentem victor peragravit; sed Gallias, saepe a Romanis et adfectatas et omissas, dein subactas, conservavit; imperii Romani fines non amplificavit, sed ubi adfuit, prospere defendit. Dein victor omnium, quibuscum congressus erat, gentium, quum multorum, tum Principis voto maior, ad id evectus fastigium, super quod, nisi scelere, non potest ascendi, indigne iugulatus est. Quoniam igitur in Galliam, segetem ac materiam suae gloriae, Aetium pervenisse diximus, breviter nobis exponendum est, quae eius provinciae tum conditio fuerit, ut appareat, quae eam gentes tenuerint, quaeve ingredi

---

dicat, in Castini locum suffectum Felicem, tamen brevi post illius casum, Theodosio XII. Valentiniano II. *cons.* (426), hunc circa Arelatem M. M. munere fungentem memorat et mox, Florentio et Dionysio *cons.* (429), post consulatum anno 428 gestum ad Patriciatum evectum. Nil dicendum erat; nisi Idatius vix interfecto Ioanne Felicem Patricium et Mag. Mil. factum esse narraret. Maiorem fortasse, certe non minorem reddidit errorem Sirmondus (*Opp.* tom. II. p. 234. D.) mutando „et Magister M.“ in „ex Magistro M.“

conatae sint; denique, quid reliquum fuerit Romanis. Sed ne longius a proposito aberremus, alienum hoc loco visum est, gentium origines perscrutari, de quibus tot fere diversae feruntur opiniones commentaque opinionum, quot scriptores leguntur.<sup>62)</sup> Constat inter omnes, Gallias iam Marii tempore barbararum gentium incursionibus fuisse apertas. C. Iulius Caesar ita eas subegit, ut institutis patriis moribusque deletis, prorsus Romanae viderentur. Quod qui effectum sit a Romanis, locupletia nobis documenta tradidit Tacitus, de Britannia loquens.<sup>63)</sup> Sed ut medio aevo oceanus, ita illis temporibus terra Galliis infesta erat. Etenim adversus populos finitimos, antequam civilibus institutis soloque suo assuefierent, Rheni vada parum tutum praestabant praesidium. Mitto Ariovistum; propero ad ea tempora, quibus

---

62) Nam quum difficile non sit, ex gentium locorumque nominibus, quodcumque placet extorquere; quis unquam fuit, qui in his quaestionibus aliquid elaboraverit, quin ad alia omnia delatus sit, ac qui ipsi praecesserunt? Sequar igitur in iis, quae non ipse inveni, Mascovii egregium librum: *Geschichte der Deutschen bis zum Abgange der Merovingischen Könige*, in 16 Büchern verfasst von D. Ioh. Iac. Mascov. Itr Theil. 2te Aufl. Leipz. 1750; in quo locos omnes exscriptos legas.

63) Agric. XXI.

aut armis victos aut conductos mercede in suos fines legionesque barbaros Romani recipiebant. Quod tum maxime accidit, quum alii contra alios Imperatores creati sunt, qui ut haberent quos aemulorum copiis obiicerent, auro carentes, agros assignabant atque universas provincias foederatis tanquam auxiliorum praemia administrandas vel colendas tradebant. Alii barbaros, qui in medias provincias irruerant easque ferro et igne vastaverant, quos modo hostes devicerant, hospites recipiebant, ne provinciae desertae iacerent.<sup>64)</sup> Accedit, quod ad defendendum ab Italia Alaricum copias ex Gallia Stilico Romanas eduxit. — Ita factum est, ut eo tempore, quo Aetius in hanc provinciam missus est, eius mediam tantum partem Romani tenerent. Francis Saliis Carausius agros, qui inter Rheni ostia siti sunt, colendos tradiderat. Inde in Gallias progredi conatos Constantius vicerat, tum Constantinus et Iulianus; opem tulerant Theodosio M. contra Maximum;

64) Amm. Marc. XXVIII. 5. 15. „Alamannos — — aggressus per Rhaetias Theodosius, mag. eq., pluribus caesis, quoscunque cepit, ad Italiam iussu Principis misit, ubi, fertilibus pagis acceptis, iam tributerii circumcolunt Padum.“ — Similia saepissime facta sunt, per Constantium Chlorum, Iulianum, Honorium alios. cfr. Mascov. VII. 8. X. 31. (Suet. Aug. XXI. Tib. IX.).

quum sedes latiores quaerent, reiecti quidem sunt a Stilicone, sed et tenebant priores sedes, et capiebant post obitum Stiliconis partem aliquam Belgiae primae;<sup>65)</sup> reliquam occupare aggrediuntur. Alii parti Francorum Maximianus Trevirorum et Nerviorum desertos agros assignaverat. Ii per seditionem Iovini totam Germaniam secundam obtinuisse videntur.<sup>66)</sup> Hos, ubi postea dicendi nobis erunt, Ripuarios appellabimus. Armorici et Britanni inter seditionem Constantini libertatem ita nacti erant, ut, quamvis ab Exuperantio dicerentur subiecti,<sup>67)</sup> tamen saepissime rebellarent. Finitimi Ripuarii erant Burgundiones in Lingonum finibus. Hi quoque a Maximiano recepti (pars usque ad Attilae expeditionem in Germania mansere), quum, Guntiaro duce, Iovino adversus Honorium ferrent auxilium, Arelate frustra oppugnata, ad Iurassum montem agris potiti sunt, qui usque ad Lingones patebant. Burgundionibus proximi iam extra Galliae fines incolebant Iuthungi ad Norici fines et Rhodanum,<sup>68)</sup> unde in Romanum agrum transire

65) Mascov. VI. 3 et alibi.

66) Mascov. VIII. 43.

67) Rutil. Num. v. 213. (annus 516 ap. Mascov. l. I. n. † in 416 mutandus est.) cfr. Bouquet. I. fol. 642.

68) Accuratius describere non licet. Exscripsit quidem multa ex Dexippo Mascovius V. 47. n. 3. sqq. (et

moliebantur. Alpium autem ea pars, quae togatam Galliam a braccata dividit, provinciae Narbonenses, Lugdunenses I. et IV., Belgica II., Aquitania prima Romanorum erat. Reliquam Galliam tenebant Gothi, et partem Hispaniae. Ii post mortem Alarici per biennium in Italia commorati, suadente Honorio Italiam reliquerunt; nam Ataulfus rex, suone ingenio, an propter Placidiae amorem, singulari quadam Romanorum admiratione captus, Gothos suos cum Romanis artissimis vinculis coniungere studebat. Placidiam enim, Honorii sororem, ab Alarico Romae captam, secum ducebat in Galliam; sed, quamvis mutuus esset amor, nolebat invito Honorio in matrimonium ducere. Proficiscitur igitur contra Gerontium; eo victo contra Vandalos et Suevos, qui Hispaniam iam occupaverant; non desinit Placidiam in matrimonium expetere; quae dum negatur, contra Romanos arma movet. Tan-

sequutus eum est Pfister *Gesch. der Teutschen*. I. p. 190 sqq.), sed omisit ea verba, quibus eorum fines circumscribuntur: τὸ γὰρ πλῆθος ἑμῶν — ἀπειληται Ῥοδανῶ εἶσω καὶ τῶν ἡμετέρων ὄριων. Quae quamquam Aureliani verba sunt, tamen non dubitavi sequi, quoniam etiam Aetii tempore in iisdem regionibus habitasse videntur et una cum Noris memorantur Idatio. Rhodanus autem h. l. dicitur, qua Helvetiam nostram perfuit.

dem voti compos factus est, quamvis reluctante Constantio, cuius apud Honorium tum iure summa erat auctoritas. Augetur filio, quem ex clarissimo eius gentis principe Theodosium appellat, per quem Romanos et Gothos sperat coalituros. Nec minore coniugem Placidia amplectebatur amore. Subito omnia mutantur. Moritur filius, splendido funere Barcinone effertur; Ataulfus per insidias necatur; etiam moribundus fratri suadet, Placidiam ut Honorio redderet, Romanorumque foedus coleret diligentissime. Post septem dies, quibus regnavit Sigericus, Sari, quem inimicissimum Alarici fuisse quis nescit, filius, idemque Ataulfi dissimillimus, Wallia rex creatur. Is Ataulfi fratris vestigia legens, pacem cum Honorio instaurat et foedus adversus Vandalos et Suevos; reddit Placidiam; Hispaniam intrat, usque in Baeticam progreditur<sup>69</sup>).

69) Idat. ad Honor. ann. XII. sqq. Oros. extr. Mirum profecto est, qui factum sit, ut tot ac tantis regionibus occupatis, Gothi in Galliam redierint. Sed omnia breviter relata sunt, maximeque secretae illae causae ac rationes, quas hic illic coniectura tantum assequi licet. Fortasse etiam regum Hispanicorum Christianorum exemplum ad explicanda, quae nobis obscura videntur, aliquid afferet, quos subitis saepe ac repentinis expeditionibus in medias Arabum provincias ingressos scimus, antequam iis potirentur.

Vandalos Silingos paene extinxit, Alanos, caeso rege Atace, ita superavit, ut regia apud se dignitate abolita, Vandalis se subiicerent. His ita gestis, iis agris, quos Ataulfo rege circa Barcinonem Tarraconemque tenuerant, Romanis cesserunt;<sup>70)</sup> ipsi, pace firmata cum Constantio, Aquitaniam secundam et quasdam civitates confinium provinciarum incolendas acceperunt (a. 419), ita ut a Tolosa intra Garumnam et Pyrenaeos montes usque ad Oceanum omnia tenerent.<sup>71)</sup> Sedibus igitur sibi gentique suae comparatis satis fecisse sibi poterat videri. Et spes erat, fore, ut secundum fratris exemplum arctius etiam Romanis se iungere studeret, quum subita morte ereptus suis est eodem anno, quo Aquitaniam obtinuerat. Successit Theodosius.<sup>72)</sup> Interea Romani expeditionem in

70) A. 420 apud Idatium Comitem et Vicarium Hispaniae invenio; vel triginta sex annis post Tarraconensem Hispaniam Romanorum fuisse apparet. Vide quae diligenter collegit atque disposuit. Tillem. Hist. des Empereurs. V. p. 640.

71) Prosp. Maximo et Plinta coss. — Idat. ad. a. Honorii XXIV. Etiam Burdigalam in Gothorum dittonem venisse ex Paulini Euchar. 502. apparet. Tolosam Idatius ipse commemorat.

72) (Idat. ad. ann. Honorii XXIV.). Cuius patrem historici quidem non referunt; sed ex Sidon. Paneg. Avit. v. 505: quae verba sunt Theodorici II., primi filii:

Hispaniam paraverant, qua gentes barbaras inter se discordes<sup>73)</sup> superaturi videbantur. Castinus enim post bellum contra Francos gestum (a. 421) Mag. Mil., cum Gothis auxiliis Vandalos ad id necessitatis redegit obsidione, ut ad deditionem essent parati. Sed quum inconsulto mallet iusto proelio congredi, Gothicorum auxiliorum fraude deceptus<sup>74)</sup> Tarraconem confugere coactus est. Ea clade Theodoricus uti coepit. — Superest, ut de Alanis nonnulla dicam, quorum quaedam pars in Caucasio monte relicta esse fertur,<sup>75)</sup> alios in Gal-

---

quae noster peccavit avus, quem fuscet id unum,  
quod te Roma capit.

Gibbonus cap. XXXV. not. 10. haec concludit, quae etiam ad regem pertinent, de quo loquimur: this character, inquit, applicable only to the great Alaric, establishes the genealogy of the Gothic kings, which has hitherto been unnoticed.

73) Idat. ad. ann. Hon. XXV. et XXVI.

74) Sic Idat. a. Hon. XXVIII. Nam quum bellum gestum a Castino in Baetica dicat *cum auxiliis Gothorum*, dubitari non potest, quin ea ipsa auxilia sint, a quibus deceptus sit. Iam supra vidimus, Castini superbia Bonifacium a societate belli aversum fuisse; idem de Gothis putarem, nisi magis placeret, cum Lembkio (Gesch. v. Span. I. p. 24), eo consilio id Gothos egisse, ne, Vandalis deletis, validi nimium Romani essent. — De ceteris cfr. Mascov. VIII. 48.

75) Hos ne verbo quidem tetigissem, nisi nimium tribuere

liam cum Vandalis et Suevis irrupisse constat, ubi divisi, pars in Hispaniam priores socios sequuti sunt, pars manserunt. Certas autem sedes habuisse non videntur, sed maxime circa Aurelianam civitatem in praesidiis collocati fuisse, donec ab Aetio agros acceperunt. Ad quem ut tandem redeamus, haec tantum addo. Apertum est, in eis provinciis, quae in Gothorum ditionem pervenerant, antiquos incolas ita esse relictos, ut, et bonis quae privata haberent, et libertate civili fruerentur sub novis dominis, quorum publica bona et reditus essent. Quod quum apud Gothos iure obtinuisse evidentissimum sit,<sup>76)</sup> qui pactione facta provincias suas nacti sunt, tum vero etiam apud

mihī videretur Ammiano Marcellino Eichwaldus, qui (Reise auf dem Casp. Meere. Berol. 1838. II. 2. p. 465) bene ille quidem multa de Alanis congressit, sed Plutarchi immemor fuit (Eumen. VI. τὸ δὲ μὴ μόνον τοὺς πολεμίους ἀ μὴ καλῶς εἶχεν ἀισθῆσαι διαφυγεῖν, ἀλλὰ καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ στρατενομήνους, ἀγνοοῦντας, ᾧ μαχοῦνται προεπισεῖσαι — ἴδιον δοκεῖ τοῦτο τοῦ ἡγεμόνος ἔργον γενέσθαι), quum oratione Iuliani (Amm. Marc. XXIII. 5. 16. „ut Lucillum transeam vel Pompeium, qui per Albanos et Massagetas, quos Alanos nunc appellamus“ —) abutitur, qua probet, Alanorum nomine antiquum Massagetarum esse obrutum. (p. 479).

76) Cfr. Paulini Euchar. V. 575.

reliquas gentes, quae Galliae Hispaniaeque partes occupabant, institutum fuisse, consentaneum est.

**VI. Aetius in Gallia Comes, deinde Magister Militum usque ad primum Consulatam, a 432 gestum.**

Capta Ravenna, Aetio in gratiam recepto (a. 425) Helio, Magister<sup>77)</sup> et Patricius apud Theodosium II., Romam mense Iulio in deditionem accepit, Valentinianum imperatoria veste induit,<sup>78)</sup> qui quum septennis esset, matris Placidiae imperium futurum et eorum, qui gratia et auctoritate apud ipsam pollebant, quis non videt? Inter quos Felicem, Magistrum utriusque militiae, summum

77) De huius muneris in Orientali aula auctoritate cfr. Prisc. p. 149. inf. ed. Bonn. πασῶν γὰρ τῶν βασιλέως βουλῶν ὁ μάγιστρος κοινωνὸς, οἷα δὲ τῶν τε ἀγγελιαφόρων καὶ ἐρηγνέων καὶ στρατιωτῶν τῶν ἀμφὶ τὴν βασιλείαν φελακῆν ὑπ' αὐτὸν τατομένων. Vid. etiam Notit. Dign. Orient. C. X. ed. Boecking. 1839. p. 38, unde, e multis qui magistri nuncupabantur, hunc Mag. Officiorum fuisse apparet. Integrum titulum in lege invenis a. 427. ad eundem Helionem data.

78) De annorum [computatione vid. Gothofr. Chron. Cod. Theod. fol. CLXXI. — Valentinianum Augustum declaratum esse probat X. Kal. Nov.; inde per quatuor menses Romae commoratum.

fuisse, supra demonstravimus.<sup>79)</sup> Cui subditus Aetius Comes rei militaris<sup>80)</sup> quum in Galliam pervenisset, Gothos, Castini clade et motibus Occidentis elatos, ex finibus suis egressos deprehendit circa Arelatem, quam urbem, Praefecti Praetorio Galliarum sedem, Theodorico rege oppugnare coeperant.<sup>81)</sup> Cui primae atque aptae ad fidem

79) Felicem quendam iam a. 398 Praef. Urbi, vel Galliarum Pr. Pr., alium Pr. Pr. a. 412 habent leges. cfr. Prosop. Cod. Theod. sub. nom. — Quorum posterior idem et noster fortasse est.

80) Quod ex sequentibus apparet, comparatis legibus ap. Gothofr. T. II. p. p. 104 et 281 (infr.). Non confundendi cum rectoribus provinciarum, qui Comites quidem habebantur primi ordinis, sed civiles magistratus erant. Gothofr. T. II. fol. 107.

81) Apud. Prosp. urbis nomen Archillas legitur, quod, quo errore irrepserit, ignoro; reliqui Arelatem habent; praeterea Archillas, ignotum prorsus oppidum, nobilis dici non poterat a Prospero. Legendum Arelas. At cave hanc obsidionem cum alia confundas, quam Sidon. Apoll. commemorat, Ep. VII. 12. Ea admota urbi est, quum Ferreolus, unus ex clarissima illa gente, ex qua Carolus Magnus originem duxit, Galliarum esset Praef. Praet., quem multo post id munus gessisse constat. Vix ad rem nostram pertineat, scire, quis quoque anno Galliae fuerit praefectus, nec quis tum fuerit, reperi. Id tantum nosse mihi contigit, Agricolam fuisse anno 418, iam per aliquot annos functum, anno 430 Auxiliarem. cfr. Vita S. Ger-

virtutemque probandam occasione Aetius non defuit. Vix autem ad arma ventum est; imminente enim Aetio, obsidione relicta, Gothi discesserunt; nec tamen impuniti. Qua victoria ita provincia illa pacata est, ut proximis annis bellum ab Aetio gestum nullum legamus. Interea Felix, Magister Militum, magnae cladis Romae exstitit auctor. Nam quum Bonifacii, Comitis Africae, potentiam gloriamque in dies augeri intelligenet, eique Placidiae gratiam tot tantisque meritis ac spectata fide comparatam invideret, machinis ac malis artibus effecit, ut bellum illi, tanquam rebelli, inferretur; quod, quum ad Consulatum suscipiendum (a. 428) in Italiam venisset, tanta contentione gestum est, ut Bonifacius, icto foedere, Vandalos ex Baetica suis navibus in Africam acciret.<sup>82a)</sup>

mani ap. Bouq. I. fol. 642 not. a. et c. Idem Auxiliaris pag. 135. not. a. commemoratur ex Gruteri titulo. cfr. Orelli. num. 3330.

82a) Scio, me hac narratione ab omnibus, qui de his rebus conscripserunt, discedere, qui Bonifacium Aetii fraudibus tentatum, Vandalos in Africam evocasse referant. Consulto discessi. Sequuti sunt omnes belle sane narrantem Procopium de bello Vand. I. 3. (ed. Bonn. Vol. I. p. 321 sqq. qui laudato et Aetio et Bonifacio, haec habet: *τούτοιον τὸν ἔτερον Βονιφάτιον ἢ Πλακιδία στρατηγὸν ἀπέδειξε Λιβύης ἀπάσης· τοῦτο δὲ οὐ βουλομένῳ ἦν Ἀετίῳ, ἀλλ' ἤκιστα γε ὡς αὐτὸν οὐκ ἀρέοκει ἐξήνεγκεν.*

(a. 429).<sup>82b</sup>) Felix, eo anno consulatu de-

Οὐπω γὰρ αὐτοῖν ἡ ἔχθρα ἐς φῶς ἐηλύθει, ἀλλ' ὑπὸ τῷ προσωπεῖῳ ἐκατέρῳ ἐκρύπτετο· ἐπεὶ δὲ ὁ Β. ἐκποδῶν ἐγεγόνει, διέβαλλεν αὐτὸν ὡς τὴν Πλακιδίαν, ὡς τυραννοίη. De reliquis posthac videamus. Nunc Prosperum legamus: „Hierio et Ardabure coss. (a. 427) Bonifacio, cuius potentia gloriaque in Gallia augebatur, bellum ad arbitrium Felicis — publico nomine illatum.“ — Ne verbum quidem habet de Aetio, sed ad arbitrium Felicis bellum illatum esse refert. Num forte pepercit Aetio? At Felicem certe ab eo interfectum esse dixit. (Theodosio XIII., Valentiano III. coss.). Mera est Procopii ψευδοπραγματεία, quam, si diligentius inquiramus, haud dubiam reperiemus. Primum quod tantis Aetium laudibus effert, profecto tunc nondum meritus erat; sed quod tota sua vita meruit, id iam de iuvene praedicat. Tum qui inviderit Bonifacio provinciam, quam iam a. 422 obtinuerat? Igitur iam annis quinque aberat ab Italia Bonifacius, quem brevi ante in Hispania militantem invenimus. Quando igitur tam diu una cum Aetio adfuit Ravennae, ut huic celare invidiam necesse esset? Nisi forte, postquam creatus erat Africae Comes, per aliquod tempus apud Placidiam commoratus sit. At eum invasisse Africam, ad unum omnes referunt (v. not. 49). Sed quam ob causam haec ita confinxit Procopius? Egregie sic inter se omnia cohaerent, quasi gesta videas. Credo. Bellum gestum inter Aetium et Bonifacium videbimus;

82b) de anno vid. Pagi. crit. ad Baron.

functus, Patricius, ut mos ferebat<sup>83</sup>) creatus

igitur altius Procopio quaerenda fuit causa incimicitiarum. Felicem, ut minus notum neglexit. — Post superiora haec scribit: διέβαλλεν αὐτὸν ὡς τυραννοίη, ἀποστερήσας αὐτὴν τε καὶ βασιλέα Λιβύης ἀπάσης, ἑαδίων τε εἶναι αὐτῇ ἔλεγε τάληθὲς ἐξευρεῖν ἢ γὰρ μεταπέμποιτο Βονιφάτιον εἰς Ρώμην, οὐ μὴ ποτε ἔλθῃ· ἐπεὶ δὲ ταῦτα ἤκουσεν ἡ γυνή, εὖ τέ οἱ εἰπεῖν ᾽Αέτιος ἔδοξε καὶ κατὰ ταῦτα ἐποίησεν προτερήσας δὲ ᾽Αέτιος ἔγραψε πρὸς Β. λάθρα, ὡς ἐπιβουλεύει αὐτῷ ἡ βασιλέως μήτηρ etc. Β. δὲ οὐκ ἀλογήσας τὰ γεγραμμένα, ἐπειδὴ τάχιστα παρῆσαν οἱ αὐτὸν ἐς βασιλέα ἐκάλουν, ἀπέειπε τὸ μὴ — — — ἐπακούειν, οὐδενὶ τὴν ᾽Αετίον ὑποθήκην ἐκφήνας. Tum B. societatem cum Vandalis inire studuit: pactione facta in Africam transeunt, p. 324: ἐν δε τῇ Ρώμῃ οἱ Βονιφατίῳ ἐπιτήδειοι — — — τινὲς δὲ αὐτῶν Πλακιδίας ἐπαγγελλούσης ἐς Καρχηδόνα ἦλθον· ἐνθα δὲ Βονιφατίῳ συγγενόμενοι τὰ τε Αετίου γράμματα εἶδον etc. Sint haec vera, neve pro Roma Ravenam scribendam fuisse dicamus, neve hoc moremur, omnia quasi praesente in Italia Aetio gesta videri, quem in Gallia fuisse constat; et reliqua cavere studet Procopius; nam post detectam fraudem Aetii propter eius potentiam, silentium omnibus imposuisse refert Placidiam; fac ea omnia fugisse Aetium; verumne haberi potest, reconciliatam gratiam, quae legationibus auxiliisque ad Bonifacium missis evidentissima erat, eum fugere potuisse per quinque vel quatuor annos? nam demum anno 432 eum hostem declaratum esse inveniemus.

83) cfr. posthac ad. a. 433.

est; sed rebus in Africa post Vandalorum adventum adeo improspere cedentibus, ut Carthago fere sola<sup>84)</sup> defenderetur, militum seditione Ravennae interemtus est, haud sine Aetii crimine.<sup>85)</sup> Nam is Felice et Tauro coss. (a. 428) partem Galliarum propinquam Rheno, quam Franci Ripuarii occupaverant, recepit.<sup>86)</sup> Gothorum manum, denuo Arelati imminentem obtulit; Anulfum, unum ex eorum principibus cepit. Inde ad Rhodanum Danubiumque contra Iuthungos et Noros movit arma;<sup>87)</sup> in qua expeditione Aviti, qui post viginti quinque annos imperator factus est, inclaruit virtus. Unde, quum victor redisset,<sup>89)</sup> Felice ad Patriciatum evecto,

84) Etiam Circa et Hippo regius (in qua urbe, tertio mense postquam a Vandalis coepta erat obsideri, Augustinus mortuus est 430) per aliquod tempus resistebant.

85) Prosp. Theodosio XIII. Valentin. III. coss. Idatius modo seditione militum interemtum refert. De eius posteris v. Baron. ad. a. 511.

86) Prosp. — Assentior Sirmondo, qui hanc expeditionem cum ea, quam Sidon. (Paneg. Maior. v. 210 sqq.) commemorat, confundi vetat. Quas rationes attulerit, ubi ad expeditionem alteram ventum erit, exponam.

87) Idatius.

88) Sid. Apoll. Paneg. Ao. v. 233 sqq.

89) Ad hanc expeditionem refero Merob. Paneg. v. 9.:

in eius locum Magister utriusque militiae creatus est.<sup>90)</sup> Sed quum Felicem cum uxore Padusia et diacono quodam Grunnito insidiari sibi deprehendisset, sustulisse eos per seditionem militum traditur. Neque ego is sum, qui, cuius vitam enarrare constituerim, eum liberum omni labe sceleribusque prorsus purum fuisse probare studeam. Qui erant tunc mores temporum, fraudem Felicis, gloriae, absente se partae, qua suam auctoritatem labefactari intelligeret, invidentis, antevertit; vim repulit vi, haud ignarus, qua fraude esset oppressus.

„Danubii cum pace redit.“ — Sed quae sequuntur „Tanainque furore exiit“ non habeo quo referam. Usque ad Tanaim profectum esse Aetium quis credit? Quemadmodum autem Danubium dixit pro accolis, ita, ni fallor, Tanais pro gentibus, inde in Germaniam, qua Galliae Italiaeque finitima est, transgressis dici potuit. Quod maxime ad Hunnos pertinet, de quibus hoc fere tempore (ad. a. 427) apud Marcellin. Com. haec invenio: Pannoniae, quae per L. annos ab Hunnis retinebantur, a Romanis receptae sunt.

90) Idat. — Prosp.; Florentio et Dionysio coss. (429) Felice ad patriciam dignitatem provecto, Aetius M. M. factus est ex agricola. Pelagianus etc. — Mirabar quid rei esset: ex agricola. Tollit dubitationem Chron. Prosp. August.: Aetius M. M. factus est. Agricola, Pelagianus etc.

Stilico, qui, si minus fisus fuisset gloria victoriarum, quae apud principem imbellem tantum habent timoris, quantum libertorum et aulicorum officia habent gratiae, Olympio isti certe non succubisset. Aetius igitur, M. M., et post caedem Felicis validior, Noros, qui rebellaverant, edomuit. Quarum rerum gestarum fama ad exteras etiam gentes ita perlata est, ut, ubi armis adesse non posset, consiliis triumphum ageret. Etenim Christiani in Gallaecia, per Suevorum regem, Hermericum paganus, misserrime vexati, legatione, cui Idatius Episcopus praeerat<sup>91)</sup> Aetium convenere, dum expeditionem facit in Gallia contra Francos. Censorium igitur, Comitem, cum Idatio in Gallaeciam pergere iussit. Nec ea legatio frustra fuit; nam de pace Christianis cum rege convenit.<sup>92)</sup> Interea

91) Cfr. eiusdem Idatii Chron.

92) Vide, num huc referendae sint reliquiae verborum in praef. Paneg. Aetii (Merob. p. 10) „et tamen nulla regio — — laudibus tuis vacua est. Euntes in Thraciam *triumfum, qui consiliis tuis intra Hispaniam*“ (reliqua desunt). Ad haec Niebuhrius: „quis iste triumphus fuerit, non expedit: vix enim de Walliae bello Vandalico intelligere licet, cuius eventus reip. exitiosus fuit.“ De industria mihi videtur Merobaudes triumphum dicere consiliis (non armis) paratum; quod ad rem nostram unice pertinet. Iordanis enim mira commenta (de reb. Get. XXXVI.)

armis Francos vicit; victos cum pace dimisit.<sup>93)</sup> His ita gestis Consul creatus est anno 452.

---

ne mentione quidem digna habuisse videtur Niebuhrius.

93) Idat. ad. a. Valent. VIII.